# EPISTOLA PASTORALIS

AD

## CLERUM ET POPULUM

### ECCLESIAE APRUTINAE.





NEAPOLI
Typis Sociorum MORELLI et DE BONIS
MDCCCXXIII.

# FR. JOSEPH M.ᴬ PEZZELLA

ORDINIS EREMITAR. S. AUGUSTINI

S. THEOLOGIAE MAGISTER

*DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA*

## EPISCOPUS APRUTINUS

EIDEM S. SEDI IMMEDIATE SUBJECTUS

PRINCEPS INTERAMNIÆ ET COMES STATUS BISEMNII

*Dignitatibus, Canonicis, Parochis, utrique Clero, Optimatibus et Populo universo suae Diocesis.*

*Gratiam, Salutem, et Pacem a Domino sempiternam.*

Aprutinae Ecclesiae gubernaculum suscepturus (ad id Me nominante primum Augusto ac piissimo Rege Ferdinando I.; imperio deinde caritateque Sua urgente Sanctissimo Christi in terris Vicario Leone XII.), praecipui muneris mei, quod est ministerium Verbi, inde exordium ducere autumo, ut ingenue cor meum Vobis patefaciam, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi; atque ipsam in primis declarem, quam in animo, ex Scripturarum et Sanctorum Patrum Oraculis, praeconceptam habeo tanti impositi mihi oneris sententiam. Illud enim inde futurum non dubitanter spero, ut verba et exhortationes meas in posterum sic suscipiatis, uti vere sunt, tanquam verba Christi; et paternum affectum meum in

sensum nequitiae nunquam retorquere quisquam valeat. Nec quempiam sane vereor qui jure obgannire praesumat dum initio sermonis mei verba Sanctissimi Pont. Gregor. (1) me resonantem audiat: *Alta quietis meae gaudia perdidi, et intus corruens, ascendere exterius videor . . . ex eis me esse videor, de quibus scriptum est* (2) : *dejecisti eos, dum alleviarentur.* Qui, scilicet, ad umbram tabernaculi Augustinianae Familiae, cui et nomen et animum ab adolescentia devoveram, sedebam cum Populo meo in pulchritudine pacis; quique, post lacrymabilem perpessam decemnalem diremptionem, gratulabar tandem posse reliquum vitae meae, uti optaveram, transigere in Christo absconditum; en raptus e sub modio nunc videor, et in Montem Dei compulsus ascendere, ut ibi tanquam lucerna splendeam ad utilitatem eorum, qui in domo sunt. Qui id mihi acciderit, quove arcano Dei consilio factum sit, ut a pascendis gregibus Patris mei Augustini, velut alter Moses aut Filius Isai, ad tantam ac salebrosissimam subeundam provinciam adigerer, non est equidem humanae rationis perscrutari; et impium aeque ac stultum foret liberrimam gratuitamque Divinam Vocationem ad hominis mendosam et obstipam libellam revocare et exigere. At quamquam, ponens in pulvere os meum, tantum formidabile onus nequidquam effugere contenderim; nihil tamen vetat, quin Ego vir videns paupertatem meam, effundam in conspectu Domini ora-

(1) Epist. 5. lib. 1.
(2) Psal. 72. v. 18.

tionem meam, et tribulationem meam ante Ipsum pronuntiem. Non enim adeo fuco et repentino splendore tam excelsae dignitatis abreptus sum, ut ingens non videam etiam a latere periculum, ex quo rationem inde evadam redditurus pro Animabus vestris. Sane, Augustino docente, didici (1) *Episcopatum*, opus bonum et desiderabile, uti dicitur ab Apost., *nomen esse operis*, *non honoris*; et sicut amplius Hieronymus explanat (2), *Opus*, *non dignitatem*; *laborem*, *non delicias: Opus*, *per quod humilitate decrescat*, *non intumescat fastigio.* Hinc locum illum superiorem, sine quo regi Populus non potest, tantum abest ut indecenter appeterem; quin potius nonnisi trepidanter conscendere impellar. Satis enim superque sentio, ea ipsa ratione Me mitti ad Vos, ac ipse Christus missus est a Patre; ac proinde, quemadmodum ille magnus Pastor Ovium, ita et Ego forma fieri debeam Gregis ex animo; non dominans, sed ministrans; et qui, ut potestatem assecutus, ita etiam Ipsius urgear caritate ponendi animam meam pro ovibus mihi commissis. Ecquisnam, cum serio id perpendat, non animum despondeat? Hinc merito magnus ille Doctor et Pater meus Augustinus asserebat (3): *Licet secundum carnem nihil appareat*, *maxime hoc tempore*, *facilius*, *laetius et delectabilius Episcopi officio*, *si perfunctorie agatur*; *quo tamen nihil apud Deum miserius*, *tristius*, *et damnabilius*: *nihil*, *e contra*, *est in hac vita*, *et*

(1) Lib. 13. de Civ. Dei cap. 13.
(2) Epist. ad Occan.
(3) Epist. 148.

*maxime hoc tempore , difficilius , laboriosius , et periculosius , si eo modo militetur , quo Deus ipse jubet.* Quod si verum attingebat Ille tunc temporis , quidnam dicendum in hac nostra aetate ? Quidnam difficilius talem esse Episcopum speculatorem, ut Deus ipse jubet (1); *Qui si viderit gladium, et non insonuerit buccina . . . Sanguis eorum omnium , qui in iniquitate sua capientur , requiretur de manu ipsius?* Quidnam periculosius, Episcopum , sicut Deus jubet , tanta pollere virtute et potentia verbi, ut sal terrae fiat , et lux , et doctor ; qui nempe valeat exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere ; et ut se habeat in Civitatem munitam, et in murum aenheum contra irrumpentes hostium impetus, ne depositum Veritatis ipsi fideliter custodiendum traditum quidquam detrimenti patiatur ? Quidnam demum difficilius tanta prae caeteris Episcopum eminere sanctitate , sicut Deus jubet , ut irreprehensibilis omnino sit , ad verecundiam eorum , qui ex adverso sunt : tanta continenter fervescere caritate, ne vel hilum quidem moveatur candelabrum suum : tanta orationis vi et efficacia praestare, qua positus inter mortuos et viventes , thuribulum extollat , et vel ipsi indignato Domino contra Populum suum suis valeat obsistere precibus : tanta denique sollicitudine et instantia teneri pro sarto tectoque servando Grege suo , ut nunquam in exprobrationem incurrat (2) : *Quod infirmam fuit , non consolidastis : et*

(1) Ezechiel. c. 33. v. 6.

(2) Ezech. cap. 34. v. 4.

*quod aegrotum, non sanastis: et quod confractum, non alligastis: quod abjectum, non deduxistis: et quod perierat, non quaesistis?*

Haec profecto, cum serio cogitarem (et adhuc jugiter recogitabo, ne cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar), haud, fateor me maximi fecisse Episcopali infula exhornatum iri; sed tot impendentium periculorum formidine perculsus, satius credidi exclamare (1): *Quare misero data est lux, et vita his, qui in amaritudine animae sunt?* Vel etiam cum August. conqueri (2): *Vis mihi facta est merito peccatorum meorum; nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Aut demum cum Chrysost. ejulare (3): *Quid tantum peccavit Ecclesia? Quaenam tanta res ipsius Dominum irritavit, ut illam, tanto cum dedecore, mihi mortalium omnium ignominiosissimo regendam traderet?*

At vero, licet perterritus et anxius, necesse tamen habui Divinae acquiescere Voluntati, ne forte, diutius renitendo, in indignationem Domini, uti et Moses, incidissem. Auctor etiam fuit mihi optimus Pater meus August. iis verbis (4): *Si quam operam vestram Mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandienti desidia respuatis; sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiae*

(1) Job cap. 5. v. 20.
(2) Epist. 21.
(3) Lib. de Sacerd.
(4) Epist. 81.

*praeponatis*. Nam (1) *Licet*, ait alibi, *otium sanctum quaerat caritas veritatis*; *negotium tamen justum suscipit necessitas caritatis*. Animum demum fecerunt mihi voces illae (2): *Vocabo eos, et stabunt simul*; quia, nempe, steterunt, vocante Deo, fortes, stabit simul infirmus: steterunt sapientes, stabit simul insipiens: steterunt divites, stabit simul pauper.

Quam quidem in spem eo vehementius adducor, quod in amplissimo perillustrium Dignitatum et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae collegio auxilium locupletissimum praebeat Deus infirmitati meae, quale et Moysi olim, regendis Tribubus Israel in conventu illo Seniorum contulit. Vos itaque, Venerabiles Fratres, qui, secundum hodiernam Ecclesiae disciplinam, in Episcopi Senatum et Consistorium coalescistis; Vos tanquam fortissimos Israel lectum Salomonis ambientes, et exertos gladios sapientiae, prudentiae, zeli, et integerimae probitatis et gravitatis tenentes, fidens ac gaudens conspicio. Vos siquidem consilio et adjumento mihi eritis; et non dubito quin Spiritum Domini ad prophetandum jugiter in vobis inveniam, ut sustineatis mecum onus Populi, et non graver Ego solus. Sed et maximopere gratulor Vos amplius suspicere veluti Seniores illos, quos Joannes vidit, stantes ante thronum Agni, divinis ejus laudibus semper intentos (3); *Loquentes vobismetipsis in psalmis*, *hymnis*, *et canticis spiritualibus*; *cantantes et psallentes in cor-*

---

(1) Lib. 19. de Civ. Dei cap. 19.
(2) Isai. 48. 13.
(3) Ephes. cap. 3. v. 19.

*dibus vestris Domino ; gratias agentes semper pro omnibus , in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo Patri.* Ea propter , licet non, uti olim, contubernio, animo tamen , corde , lingua , caritate , in unitate spiritus et vinculo pacis hortor Vos ut vivatis semper. Id enim exigit ipsum vestrum Nomen ; nam (1) *Canon* graece , latine *Regula* nuncupatur. Unde et Conc. Coloniens. ait (2): *Respondeat eorum vita titulo , respondeat nomini : sint reipsa Canonici , idest Regulares. Neque enim clam est primam eorum originem Monasticae vitae fuisse. Imitentur Apostolos, et nascentis Ecclesiae Ministros , quorum erat cor unum et anima una ; qui quotidie perdurantes unanimiter in Templo , et frangentes circa domos panem , sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis perseverantes in orationibus.*

Sed et non minori alacritate ad Vos oculos , linguam, et cor meum intendam , Reverendi Parochi , et Animarum Rectores quicumque vocati estis in partem pastoralis solicitudinis meae. Vos profecto septuaginta duorum Discipulorum locum tenetis , quos praemisit Dominus ante faciem suam. Satagite proinde , ut sedulo incumbentes pascendis Animabus vobis concreditis , et certam vestram vocationem faciatis, et probabiles Vos exhibeatis Deo Operarios inconfusibiles. Hinc necesse est Vos exhistimari apud omnes , fideles Dispensatores Mysteriorum Dei ; recte tractantes Verbum Veritatis ; studiosos cultores Vi-

(1) Cap. *Canon* dist. 1.
(2) Par. 3. cap. 4.

neae Domini, et serpentem in dies zizaniam jugiter evellentes; non dantes Sanctum canibus; et Custodes vigilantes de nocte (1); *Ad salutem Ovium vestrarum*, demum, uti monet Synod. Gandens., *omnes pastorales curas dirigentes*; *eamque assiduis precibus et quotidianis exercitiis Deo commendantes*; *et non minus ac benigne, quam reverenter, omnibus rite dispositis, Sacramenta administrantes.* Mementote insuper ita vestra interesse pascere grandiores Verbo Dei et salutaribus monitis, ut non parvifaciatis simul materno plane affectu panem Parvulis frangere; Rudes patienter instruere; Viduas et Pupillos visitare in tribulatione eorum; Infirmos suscipere; et ab omni turpis lucri suspicione immunes vosmetipsos servare. Ita prorsus fiet ut non vituperetur Ministerium vestrum (2); *Sed in multa patientia pascentes, qui in vobis est, Gregem Dei, non coacte, sed spontanee*, tales profecto evadatis, quales Vos appellat Divus Prosper (3), *Ecclesiae decus, in quibus amplius fulget Ecclesia: Janua Civitatis aeternae, per quos, omnes qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum: Janitores, quibus datae sunt claves Regni Coelorum: Dispensatores etiam Regiae Domus.*

Ad Vos porro, Sacerdotes, Verbum Domini dirigam, ad Vos Levitas, ad Vos omnes, qui nomen dedistis mi-

---

(1) Titul. 16. cap. 9.
(2) 1. Petr. 5. 2.
(3) De Vit. Act. lib. 5. cap. 2.

litare Deo; et quos propterea necesse est, juxta doctrinam Apostoli, abdicare ab omnibus soecularibus negotiis, ut sit Ipse pars haereditatis vestrae. Memineritis semper, quia de Vobis potiori jure quam de Sacerdotibus Levitici generis scriptum sit (1): *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt; et ideo Sancti erunt. Quo igitur*, arguam cum Crhysostomo (2), *non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? Os, quod igne spirituali repletur? Linguam, quae tremendo nimis Sanguine rubescit?* Agite proinde, ut dignitatis et excellentiae vestrae lux luceat coram omnibus hominibus in incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris; ita un nihil in vobis appareat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Cavete ab otio, a scurrilitate, a ludicris indecoris, a scandalis, et ab omnibus societatibus et negotiis illis, quae per Sanctorum Canonum providentiam non semel atque iterum Ecclesiasticis vetita sunt. Ne Vos pigeat saepe animo recolere, quod si majus praejudicium a Sacerdotibus tolerat Deus, dum irritum faciunt pactum Levi, ingentes pariter esse ruinas, quae ipsis a Domino impendent, juxta Malachiam (3). Ne igitur patiamini caligare in Vos aliquando pupillam oculi Dei.

---

(1) Levitic. cap. 21. v. 6.
(2) Homil. 60.
(3) Cap. 1. et 2.

Labia vestra custodiant scientiam, ut queat Populus Legem exquirere de ore vestro. Manus purissimas extollite inter vestibulum et Altare; et bonus odor efficiamini aeterni Sacerdotis illius, qui a Patre vocatus est secundum Ordinem Melchisedech. Hac sane ratione efficiemini (1) *tanquam Stellae in perpetuas aeternitates; et dabitis lumen in custodiis vestris; quae etiam laetatae sunt, et vocatae sunt, et dixerunt: Ad sumus; et luxerunt ei cum jucunditate.*

Praecipuo autem affectu Vós alloquor, Seminarii nostri Alumni dilectissimi; quos veluti novas propagines ecclesiasticae Vineae, et spiritali gratia de die in diem gemmantes, paterna sollicitudine, vigilantia, et amore colam et excolam semper. Ipse Dominus, sicuti pollicitus est, custodiet vos, quatenus ad pietatem, Religionem, ecclesiasticam disciplinam, et ad omnes bonos mores, uti Trident. Synod. exoptat, instituí valeatis. Sed vestra certe interest monitum illud Bernardi animo jugiter recolere: *Scrutare spiritum tuum: teipsum interroga, et dic: ad quid venisti?* Instate proinde orationi, qua tandem cognoscere possitis quae sit voluntas Dei in vobis beneplacens et perfecta. Attendite lectioni, studio, et doctrinae, ne forte scientiam repellentes, repellamini et vos a Domino ne Sacerdotio fungamini Ipsi. Pacem, caritatem, modestiam, disciplinam, et humilitatem servate. Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis, non ex tristitia et necessitate, sed hilari animo; quia bonum est viro cum portaverit jugum

(1) Baruch cap. 5.

ab adolescentia sua ; et si (1) *a juventute vestra excipietis doctrinam , usque ad canos invenietis sapientiam.* Demum (2) *Proficite* , hortor Vos , Filioli mei , cum Augustino ; *discutite vos sine dolo : probate ipsi vosmetipsos : semper displiceat vos quod estis , si vultis pervenire ad id quod nondum estis : semper addite : semper ambulate : semper proficite.* Hisce namque profectibus virga vocationis vestrae , tanquam virga Aaron , florescet in tabernaculo foederis Domini ; et (3) *Nunquam sacerdotalis gratia marcescet ; et in summa humilitate habebit in suo munere commissae sibi potestatis florem* ; ait Ambros.

Nec praetereundos Vos etiam censeo , Religiosi Status Professores , ac Monasticae Cultores Venerabiles quicunque in mea Dioecesi incolitis. Etsi namque non eodem modo , ac in coeteros Altaris Ministros , pastoralis vigilantia mea in vos versetur ; qua tamen parte in ministerium Verbi , Sacramentorum dispensationem , aliaque ecclesiastica munia soeculari Clero in cooperatores vos adscivit hodierna Ecclesiae disciplina , jus omne profecto vobis est ad meum affectum et caritatem. Quinimo me vobis summopere devotum et addictum in vim institutionis meae certiores vos volo. Haud interim multis verbis vos prosequar. Hoc unum modo suggeram ; ut qui arctam consiliorum viam aggressi estis , quae ducit ad vitam

(1) Ecclesiast. cap. 6. v. 18.
(2) Serm. 15. de Verb. Apost.
(3) Lib. 10. Epist. 82.

perfectae caritatis; quique omnia relinquentes, et quotidie Crucem bajulantes, Christum sequi in animum posuistis, contendite ne unquam ab aratro, cui manum misistis, retro respiciatis. Ad Sanctorum Patrum vestrorum exempla aciem jugiter intendite. Ipsos in constitutionibus vestris interrogate, et dicent vobis quaenam sit via, quae ducit ad vitam: quomodo in sequenda regula inveniatis pacem: quantum alienum a vestra sanctitate foret reperiri in turba populi, cum in vim nominis ad solitudinem vocati sitis, ut ibi, in solitudine, loquatur Deus ad cor vestrum. Memineritis demum tamdiu vos esse Populis honorabiles, et in vobismetipsis beatos, quamdiu unanimiter habitetis in domo Domini; ibique coram Ipso semper et Sapientiam ejus audiatis, et in concinnendis ipsius laudibus versemini. Sic VV. PP. per duplicem vitam actionis et contemplationis Vos estis in Ecclesia Christ Grex ille Tonsarum, de quo ait Bernardus (1): *Quam bene Monachi tonsis ovibus comparantur! Quia revera tonsi sunt, quibus nec corde, nec corpore, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est.* Quae ascenderunt de lavacro: *Lavacrum Baptismus est, de quo ascendit qui ad celsitudinem verae perfectionis intendit.* Omnes gemellis foetibus; *quia verbo pariunt et exemplo.* Et sterilis non est in eis; *quia nullus est infoecundus.*

Sed et Vos modo compellam, Sacrae Virgines, quae in beatam spem et expectationem coelestis Sponsi, vigilantes semper, et accensis lampadibus instructae admi-

(1) In Cap. 4. Cantic.

randam degitis vitam. Eja igitur, Vos hortor: Coelum suspicite, ac nunquam remisso fervore extollentes palmas, nitamini sequi Agnum illum, qui ad castissimas nuptias gratuito vos vocavit. In solitudine, in silentio, in segregatione ab omni humauarum rerum strepitu et curiositate, in oratione, et interioris animi recessu, custodite thesaurum inestimabilem. Sit Christus jugiter vobis prae oculis, et fixus in corde, qui pro vobis confixns est in Cruce. Ponite illum ut signaculum super cor vestrum, quia (1) *in corde sunt cogitationes*, ait Gregor.; ut signaculum super brachium vestrum, quia *in brachio sunt operationes*. Praecipue vero, quaeso, pacem et humilitatem inter vos fovete; nec unquam patiamini callidum perantiquum serpentem virulentum flatum suum superbiae et contentionis insufflare in hortum Christi conclusum, ne virtutnm flores contabescant; dumque exemptae, divinae singularis gratiae beneficio, a doloribus et servitute primae parentis, ingruente porro desidia, non aestnetis cupiditatum febribus. Casta profecto et pulcherrima est vestra generatio, ex quo Christo desponsae estis, si omnium tamen fulgebit ornamento virtutum; et jure merito dicemini ab Athanas. (2): *Corona, quae nunquam marcescit*; *Templum Dei*; *Sacrarium Spiritus Sancti*; *Decus Ecclesiae*; *Gaudium Prophetarum*; *Gloria Apostolorum*; *Vita Angelorum*; et ingens gaudium in vos redundabit ex quo diu noctuque versamini circa illnm, qui pascitur inter lilia, septus choreis virginum, Sponsus decorns gloria, Sponsisque reddens praemia.

(1) Apud a Lapid. in Cant.

(2) Lib. de Virg.

Pastoralem vocem meam, qua praediti estis religione ac pietate, Vos etiam excipere non pigeat perillustres Viri, qui et praetoria dignitate fulgetis, et jus dicitis, et civitatis regimen exercetis, Senatores, Optimates, et quicunque nobilitate generis, sapientia, opulentia eminetis in Populo. Vos profecto non latet (1) *summam nobilitatem esse clarescere virtutibus; et nihil amplius in nobilitate appetendum, nisi quod Nobiles quadam necessitate constringantur ne ab antiquorum probitate degenerent* (2); et *nihil amplius esse religione, nihil sublimius fide*. Diligite ergo justitiam qui judicatis terram. Sit timor Domini in vobis; et quoniam non est acceptio personarum apud Deum, aemulemini, quaeso, ut sitis oculus coeco, pes claudo, patres pauperum, et causa viduae et pupilli intret semper ad vos. Nolite Divites in incerto humanarum rerum spem ponere; sed potius thesaurizate vobis thesauros in Coelo. Qui Potentes estis reminiscamini, quia potestas a Domino vobis donata est; sed non equidem ut ipsa abutamini, quia scriptum est (3): *Potentes potenter tormenta sustinebunt*. Vestra demum quammaxime refert impiorum nebulonum os obstruere, dum divinam Catholicam Religionem causari non verentur tanquam Reipublicae felicitati contrariam et infensam. Per vos enim palam et effectu demonstrari potest quod Augustinus fidenter contra ethnicos asserebat (4), *Christianae Religionis praece-*

(1) Hieron. Epist. 14.
(2) Ambros. ad Valentin. junior. Epist. 17. num. 12.
(3) Sapient. cap. 6. 3.
(4) De Civ. Dei lib. 2. cap. 13. 13.

*pta . . . Si simul audirent atque curarent Reges terrae et omnes populi, Principes et omnes Judices . . . Exactores et Milites; certe terras vitae praesentis ornaret sua felicitate respublica, et vitae aeternae culmen beatissime regnatura conscenderet.*

Affari vos demum oportet, quotquot estis Filii carissimi cujuslibet ordinis, conditionis, sexus, aetatis; nam omnibus debitor sum, et de omnibus summopere gratulor praeconium audivisse (1): *Erunt omnes docibiles Dei.* Sciatis itaque hoc unum mihi deinceps negotium esse, hoc unum votum cordis mei, ut nunquam vos videam desciscentes, sed stantes semper, et proficientes insuper in fidem vestrorum patrum, in pietatem, in amorem fraternitatis, et in omnia bona, quae per Christum donata sunt vobis; ita ut (2) *non vacui et sine fructu constituti sitis in cognitione Domini nostri Jesu Christi.* Hoc autem nedum ad aeternam, sed et ad temporalem vestram prosperitatem vertetur, ut de rore Coeli et de pinguedine terrae benedictionem accipere possitis. Nam (3) *Pietas*, ait Apost., *ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et in futuro.* Et sicut (4) *Justitia* (quae sola vera est in fide Domini nostri Jesu Christi) *elevat gentem; miseros* e contra *populos facit peccatum.* Eja igitur, Filii dilectissimi, sic vivatis, sic in timore Dei, et in virtute confirmemini, ut aquae duorum amnium

---

(1) Joann. cap. 6. v. 45.
(2) 2. Pet. cap. 2. v. 8.
(3) 1. ad Timot. cap. 4. 8.
(4) Prov. 14. v. 31.

Botini, et Vomani, vulgo *Tordino* e *Vicciola*, quae Praecutianum agrum interfluunt, inclytam Interamniam circumambiunt, eique antiquissimum nomen faciunt, nunquam peccatorum coeno turbidae fluctus elevent indignationis et vindictae; sed velut aquae sanctificatae Jordanis redundent jugiter ad laetificandam civitatem vestram. Utinam proinde spiritu Elisaei Ego polleam, quo eas possem ictu pastoralis virgae mirabiles ac salutares vobis reddere! Hoc equidem incessanter a Deo petam, ut dum exterius electam vineam suam et colere, et serere, et plantare Ego pro viribus nitar, Ipse interius eam irrigare aqua viva in vitam aeternam resiliente non desistat. Hostiam siquidem pacificam oblaturus pro salute Populi mei, hoc unum petam a Domino, ut pacem, caritatem, benedictionem copiosam incessanter vobis largiri dignetur. Queis sane votis ut Deus Opt. Max. propitius velificetur, obsecro Vos, ut agnoscentes, et prae oculis habentes semper dignitatem vestram, utpote consortes divinae naturae effecti, sobrie, pie, ac juste vivatis in hoc saeculo; nunquam degeneri conversatione in veterem vilitatem redeatis; sed transferamini de die in diem in Dei lumen et regnum.

Interim, Fratres, et Filii carissimi, obsecro fieri orationes, postulationes, et gratiarum actiones pro diuturna salute et incolumitate Sanctissimi Domini nostri LEONIS PP. XII. Adprecemur Ei auspicatum initium longaevissimi Pontificatus; et ut sub suo regimine Sancta Civitas Hierusalem in terris militans (1) *habitetur in omni pace; leges optime custodiantur propter Ipsius pietatem*; et

(1) 2. Machab. cap. 3. v. 1. et 2.

*ut propter Ipsius sapientiam, ipsi Reges et Principes omnes summo honore prosequantur Locum Sanctum, et Templum Domini,* quod est Ecclesia. Sed et oremus pro religiosissimo et augustissimo Rege nostro Ferdinando I. ejusque inclyta Familia, (1) *Vitam Illi prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Exercitum fortem, Senatum fidelem, Orbem quietum, et quaecunque Hominis et Caesaris sunt vota exoptantes.* Orate, quaeso, et pro Me exiguo, ut det mihi Deus e sedibus suis assistricem Sapientiam, quae mecum sit in omnibus, et mecum laboret; et ut qui Auctor fuit constituendi me Dispensatorem domus suae, fiat etiam mihi administrationis Adjutor, ut fidelis tandem inveniar, laudem habens in Illo, et non in meipso. Haec postulans a Vobis, non cesso invicem memoriam vestri facere in omnibus orationibus meis; sed (2) *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri J. C. ut det Vobis, secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari, Christum habitare in cordibus vestris, ut sitis semper in caritate radicati et fundati.*

Adeamus igitur omnes cum fiducia ad thronum gratiae, innixi potentissima protectione clementissimae Virginis et Matris Dei Mariae; suffulti precibus inclyti S. Episcopi Berardi Cathedralis Ecclesiae Patroni; necnon favorem implorantes Sanctorum Angelorum, Coelitumque omnium, quorum sub tuto praesidio Grex simul cum Pastore salvus fiat.

---

(1) Tertull. Apolog. cap. 3.
(2) Ephes. 3. 14.

Interim absens parumper adhuc corpore, sed praesens jam spiritu, omnes et singulos saluto in osculo sancto: omnibus et singulis Pastoralem impertior Benedictionem. Gratia Vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, Gloria, Magnificentia, Imperium, et Potestas. Amen.

Dabam Neapoli, ipsa die Consecrationis meae, Anno Reparatae Salutis MDCCCXXIII.